

21
1773,28.
QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI

A N
**RENVNCIATIO CONDICTIONIS
INDEBITI VALEAT**

Q V A M
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E

P. 47.
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVSEBVRGENS.

S O C I O
IN AVDITORIO PETRINO
DIE XIV. AVGUST. ANNO C I C I D C C L X X I I I .

D E F E N D E T
IOANNES CHRISTIANVS GOTTLLOB
S C H R E C K
DOMITIENSIS MISNIC.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.





AN
RENVNCIATIO CONDICTIONIS
INDEBITI VALEAT.



§. I.

I nter ea negotia, quae obligationem quasi ex contractu producunt, indebiti solutionem referunt ICti, et ipsem Imperator in
f. 6. I. de obligat. quae quasi ex contractu nasc.

Non quidem omnis solutione indebiti, sed ea tantum, quae ex errore fit, et qui error facti est, non vero ignorantiam iuris comprehendit, hanc contractui similem producere potest obligationem. Neque omne indebitum sufficit, sed illud tantum, in quo ne naturalis quidem obligatio existit. Potest enim adesse interdum obligatio naturalis, at, cui civile ius non adsistit, ut civile sit indebitum: fac Te soluisse hoc civile

A 2

inde-



indebitum, an putabis accipientem tibi quasi ex contractu fore obligatum? Sane nulla ad restituendum reddendumue obligatio, cum verum haud esset indebitum. Tandem et, si naturae contractus obligatio haec ex indebiti solutione proprius accedere debet, error quoque siue iuris, siue facti sit, perinde est, in accipiente adesse debet. Sicut enim sciens qui soluit, donasse censetur, ita, qui sciens indebitum accipit, sur reputatur atque conditione furtiva pellendus videatur, teste **S C A E V O L A** in *L. 18. π. de condit. furti.*

§. II.

Solent hanc indebiti solutionem *promutuum* vocare, ex ea comparatione, quae cum mutuo institui solet. Sed caue id de omni indebiti solutione intelligas, sed de ea tantum, qua res, quae pondere, numero et mensura continentur, indebite soluuntur. Iam vero et res non fugibiles indebite solui possunt. Sic **P A V I L S** in *L. 65. §. 8. ff. de condit. indeb. serui indebiti dati mentionem facit. Adeo et *incorporalium rerum* indebitam dationem ad hanc conditionem retulerunt, quamlibet speciem **P O M P O N I U S** in *L. 22. §. 1. ff. eod.* exhibet. Ait: *Cum iter extipere deberem, fundum liberum per errorem tradidi incerti condicam, ut ITER mihi concedatur.* Hinc concludo, indebiti conditionem mox comparari debere cum conditione ea, quae ex mutuo datur, mox cum commodati actio ne. Effectus debet exinde diuersus esse. Cum in conditione ex mutuo, non eadem res, sed tantundem condicatur, sequitur, si cum mutuo, ob id, quod res fungibilis, data sit, comparetur, periculum fore statim accipientis. Quare, si postquam nummos indebitos acceperit ex errore, siue eos consumferit, siue furto ablati fuerint, nihilominus condici poterunt, nam teste **P O M P O N I O** in *L. 7. π. eod.* tantundem repetitur. Contra, si non fungibilis res indebita data atque*



atque tunc cum commodato comparatur indebiti condicō,
casum accipiens haud feret. Hūc spectat testimonium **IULIANI** in *L. 32. princ. π. eod.* Cum is, qui *Pamphilum aut Stichum* debet, simul utrumque soluerit: Si posteaquam utrumque soluerit, aut uterque, aut alter ex his desit in rerum natura esse:
NIHIL REPETET.

§. III.

Iam quaeritur: an, qui indebiti soluit, si indebiti conditioni renunciaverit, ea renunciatio effectum habeat, videlicet, ne quod indebite solutum ex errore, postea repeti possit. Cum cuilibet permisum sit, iuri suo renunciare, omnino videri potest, hanc utique renunciationem analogiae iuris non repugnare. Quid enim obstat, quominus putem, hanc utique renunciationem vim donationis continere. Dein, cum, qui indebiti sciens soluit, donasse praesumitur, absque dubio renunciando conditioni indebiti, quae **PAPINIANO** in *L. 66. pr. π. de cond. indeb.* ex bono et aequo introducta esse videtur, ut male iudicent, qui eam stricti iuris esse arbitrentur, cum sciens vim conditionis, renuncians, videtur indebitum solutum rati habuisse, ut prouidenter soluente haberi possit; quo efficeretur, ut illa renunciatione utique conditionem tolleret.

§. IV.

Sed salua res est, distinctione facta. Cedo, si qui putat, se alteri quidquam debere, eaque intentione soluit, quod vero indebitum naturale est, vel quod plane non debet, inque solutione simul renunciat conditioni indebiti ea declaratione adiecta, licet postea indebitum deprehendatur, nolle se tamen instituta indebiti conditione repetere,

A 3

michi

◆ ◆ ◆

mihi non videtur dubium, si accipiens in errore versetur et indebiti et renunciationis conditionis, quin, si postea resciuerit, se indebitum soluisse, conditionem indebiti instituere nequeat. Ex ipsa enim declaratione adiecta facile renunciantis liberalis animus deduci potest.

§. V.

At si illa renuncatio conditionis indebiti verbis generalioribus fiat, atque renuncians in errore versetur, qui error ex indebito facile praesumitur, an conditionem illam nihilominus instituere possit ad indebite solutum condicendum. Et verior sententia est, hanc renunciationem plane effectum habere non posse. Colligunt ex auctoritate SCAEVOLAE in L. 67. §. 3. π. de condit. indeb. Ita enim apud eum legitur: *Idem quaeſit, an paſtum, quod in pariationibus adſcribi ſoleat in hunc modum: EX HOC CONTRACTV NVLLAM INTER SE CONTROVERSIAM AMPLIUS ESSE, impediat repetitionem: respondit, nihil proponi, cur impediret. Neque haec sententia in dubium vocanda. Nam si renunciat is, qui ex errore soluit, quique putat, se ſoliere obligatum eſſe, renunciat aequē ex errore, quum si indebitum ſciuifret, neque renunciasſet, neque indebite ſoluifret. Vix enim probabile eſt, quemquam ſuo iuri renunciaturum, vbi error interuenierit.*

§. VI.

Neque aliter sentiendum erit, ſive in genere omnibus beneficiis, iuribus, actionibus, exceptionibus debitor renunciet, ſive nominatim conditioni renunciet indebiti. Nam generalis renunciatio per ſe effectum specialem haud producere potest, et in utraque renunciatione eadem cauſa ſubſt



subest erroris. Imo in generali illa renunciatione adhuc illa obstat regula, quod ad non cogitata non extendenda renuncatio. Probabile enim est, generaliter renunciando, cum se debere crederet, renunciantam nequidem cogitare potuisse de condicenda illa indebita soluta pecunia vel non condicenda. Et cum lex tantum indulgete indebita soluenti ex errore, ut repetere possit solutum, quidni etiam indulget, ut, renunciatione conditionis indebiti non obstante, nihilominus adhuc, quod alter indebita accepit, condicere possit,

§. VII.

Sed aliter sentiunt plerisque ICti de renunciatione illa conditionis, quae iureiurando confirmatur. Hanc facultatem ea, quae indebita soluta sunt, condicendi adimere vulgo statuunt. Probatio facilissima erit, quippe ex illo trito Iuris Canonici, brocardico: omne iuramentum, quod salua salute aeterna seruari potest, seruandum esse, petenda erit. Tantam enim iuriurando vim tribuit ecclesiae caput Romanus ille Praeful, ut omnibus actibus, nisi penitus religioni contrariantur vel legibus prohibitiuis improbentur, ad quos accedit, vim autoritatemque tribuat atque conciliat.

§. VIII.

Sicuti autem Pontificii iuriurando maiorem religionem atque vim tribuunt, quam quantum de accessoria obligatione adfirmandum videtur: prior esse ad contrariam sententiam approbandam. Quis enim ignorat, iuramentum renunciationi adiectum, eadem ignorantia atque errore praesitum esse, ex quo solutio ipsa indebiti fiebat. Poterat eo facilius ad illam renunciationem induci debitor, qui se putabat obligatum atque suaee obligatio-

ni



ni soluendo satisfacere. Hac intentione, quo creditorem
aeque errantem securum redderet, renunciat condicōni
indebiti, quam, se instituere posse, haud credebat. Vn-
de ergo iuriurando illo, quod se ad factam solutionem
refert, eique quasi accedit, grauiorem effectum tribua-
mus, quam ipsi erroneae solutioni. Hanc improbat lex,
nisi a sciente facta, et ne alter locupletior fiat errantis
damno, concedit actionem. Nonne probabilius est, de-
bitorem errantem, si sciuerit se suo, quem putat, cre-
ditori nihil debere, neque soluturum, neque condicōni
renunciaturum. Non ergo habuit iurans animum
se obligandi, neque multominus liberalis ex illa repun-
ciatione iurata praesumēndus erit, quippe liberalitas non
praesumitur. Quare puto, licet iurato renunciauerit de-
bitor ex errore soluens indebiti condicōni, tamen si
vēre indebite soluerit adhuc ad repetenda indebite soluta
admittendum esse.



ULB Halle
004 758 501

3



Sl

Vd
18



Q V A E S T I O
I V R I S C O N T R O V E R S I
A N
R E N V N C I A T I O C O N D I C T I O N I S
I N D E B I T I V A L E A T
Q V A M
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E
D.C.H. D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
P R O F E S S . P V B L I C . O R D I N A R . I V R . N A T . E T G E N T .
E T S O C I E T A T . L I T E R A R . D V I S E V R G E N S .
S O C I O
I N A V D I T O R I O P E T R I N O
D I E X I V . A V G U S T . A N N O C I C C I C C L X X I I I .
D E F E N D E T
I O A N N E S C H R E C K
G O T T L O B
S C H R E C K
D O M I T I E N S I S M I S N I C .

